



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Cibi vice, Deo sacra Virgo, dulcedinem percipit diuinam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

non fiat dulce pati, pro eo, qui ut pati posset, homo factus est? Qui autem vicissim pro eo pati optant, pati gaudent, & spe condunt, amaritudinem laboris. Immo & Deus illis laborem condit, compensatque, quod tolerant, æternæ voluptatis cogitatione.

VI.
Cæsarius l.
3. c. 24.

Recito in hanc rem eiusdem authoris historiam. Ordinis sui cœtum, ait, fuisse Virginum Deo sacrarum. In eo, quæ penû curabat, promi condi loco, ova friga, toto conventu diuiserat. Dum negotiosa est, dum satagit rerum, vnam obliuione præterit. Quid illa famelica? num impatiens facta, num ex odio se negligi suspicata est? num cellam execrationibus, sorores reliquas Diris impleuit, aut querelis? Nequaquam. Sed negligentia alterius, in suum meritum, vta; sibi met, quod neglecta esset, gratulata est, Deoque, quasi, ob beneficium, gratias retulit. Adfuit illico præmium virtutis. Nam summus ille pater familias, tanta, os eius faucêsque dulcedine compleuit, ut nunquam aliquid suauius, in omni vita sua, se meminere, gustauisse. Neque corpori duntaxat ea data est dulcedo, sed menti insuper delicia se se tam infuderunt copiosæ, ut diceret, se omnibus eiuscemodi esculentis, vsque ad extremum obitus sui diem, carere velle, dummodo adhuc semel, gaudium animi simile liceret persentiscere. O quàm

Psal. 67. 11.

verè dixit ille: *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus!* Qui enim nouit & sustinere & abstinere, qui gaudere paupertate, qui inopiâ delectari, ei Deus & cocus est, & medicus, & opsonator. Ad eò homines paupertate uti ad meritum, vel abuti ad impatientiam, possunt; & sicut, ex eadem arundine, vel fistula fieri potest, vel sagitta; ut aut canat, aut lædat; ita ex eadem rerum inopia delectari potest quispiam, vel cruciari.

VII.

Duo hic commemorabo, vnum est de simplici, sed pio agricola. Vdalrico nomen est, & eius memoria habetur sancta, in sacello, non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij Cæsaris* immensus, de rupe, trans Lycum, saltus monstratur. Egrotabat is agricola, media hyeme, cum omni niuibus cooperta horrerent. Incessit cum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

VIII.

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morboque graui, & penè morti vicino. Nam

cum